



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

97. An Inquisitores possint compellere, ut abiurantes de levi, abiurent
generaliter omnem hæresim? Ex p. 4. tr. 8. res. 68.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum. &c. Ref. XCIV. &c. 451.

RESOL. XCIV.

An Inquisitores possint indicere purgationem, vel abjuratorem propter insaniam?

Et an sola infamia sufficiat ad inquirendum, & procedendum in crimine hæresis?

Et an infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles?

Et an verò in causa hæresis infamia afficiat, quando ortum habuit ab æmulis, & vilibus hominibus? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 82.

§. 1. **R**espondeo quòd ex cap. inter sollicitudines, de purgat. canon. potest indici purgatio propter solam insaniam, ut docet Rosella ver. hereticus, n. 2. Deltius in disquis. lib. 5. sect. 13. ver. sed de infamia. Sylvestre ver. heret. 2. n. 10. & alij. Imò tenet Patamus de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. n. 26. & Pegna in direct. p. 2. comment. 82. solam insaniam, seu diffamationem cunctis adminiculis sufficere non solum ad purgationem, sed etiam ad abjuratorem.

2. Nota tamen quòd non quælibet infamia ad purgationem indicendam sufficit, sed illa tantum, quæ publica sit & gravis, & vehemens, ut ex dicto capite inter sollicitudines docet Gabriel lib. 1. cons. 160. n. 4. Pegna in direct. p. 3. comment. 38. Decianus in tract. crim. lib. 5. cap. 48. n. 8.

3. Unde ex his à fortiori contra aliquos apparet, dicendum esse solam insaniam sufficere ad inquirendum & procedendum in crimine hæresis, & ita docet Zanchinus de heret. cap. 1. n. 3. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. accusatio, §. ponamus, & ibi Mandolus in addit. lit. O. ubi asserit generaliter quòd fama succedit loco accusatoris, & sufficit ad inquirendum.

4. Difficultas est an infamia ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles? Ego contra Vmbertum Locatum in praxi ver. diffamatis, sub n. 3. & Eymericum in direct. par. 2. q. 57. n. 2. puto non probari per testes inhabiles, & ita docet Peña in direct. ubi sup. comment. 82. nisi essent plures quàm duo, & deponerent verisimilia. Vide eundem Pegnam in direct. par. 3. comment. 19.

5. An verò in causa hæresis infamia afficiat quando ortum habuit ab æmulis & vilibus hominibus, vide Pegnam ubi sup. comment. 82. Simancam in cathol. instit. tit. 56. n. 7. & in enchirid. tit. 54. n. 4. Oldradum cons. 210. n. 9. Gabrielem lib. 1. cons. 160. n. 5. & alios penes ipsos negativam sententiam docentes.

RESOL. XCV.

An detur casus in quo Inquisitores possint torquere reum, & non imponere abjuratorem de vehementi?

Et an licet reus fuerit tortus, possit ei imponi abjuratio tantum de levi? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 110.

Quoad hoc §. 1. **V**idetur negativè prima facie respondendum, per ea quæ habentur in Instructione Madrilensi, anno 1561. cap. 46. 47. & 48. ubi dicitur contra reos, qui per indicia non possunt absolvi simpliciter ab instantia, seu accusatione, procedendum esse vel per purgationem, vel per abjuratorem, vel per torturam. Ergo quoties Inquisitores possunt torquere reum, si nolunt, possunt ei imponere abjuratorem.

2. Sed his non obstantibus contrarium dicendum est cum Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 39. ubi sic ait: Non diffiteor evenire sæpe posse ut alia indicia concurrant contra reum, ex quibus non possit tunc

imponi abjuratio de vehementi, cum ea sit gravissima poena ob periculum relabendi; ea tamen indicia sufficientia judicabuntur ad torturam infligendam, quæ non est adeò periculosa, ut per eam indagetur veritas, & ab ore ipsius delinquentis, si fieri potest, habeatur, ut tunc severius possit procedi ad infligendam abjuratorem, & alias poenitentias. Ita ille. Non est igitur absolutè verum, eo ipso quòd reus potest torqueri quòd possit ei indici abjuratio de vehementi, ut male olim dicebat quidam vir doctus. Nam, ut visum est, aliquando dantur indicia sufficientia ad torturam, & non ad abjuratorem de vehementi.

3. Ad instructionem verò Madrilianam respondeo quòd loquitur de eo quòd communiter accidere solet.

4. Notandum est etiam contra quemdam virum doctum, quòd licet reus fuerit tortus, potest ei imponi abjuratio tantum de levi, ut patet clarè apud Cantezan in 99. crim. cap. 1. de heret. n. 95. & Genuensem in praxi cap. 18. n. 13. & cap. 78. n. 12.

RESOL. XCVI.

An Inquisitores possint indicere abjuratorem de vehementi, & punire tanquam credentes hæreticorum illos, qui semel, vel bis assistunt concionibus, vel conventiculis hæreticorum? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 93.

§. 1. **A**ffirmativè videtur respondendum, quia ex actu geminato crimen videtur ad consuetudinem trahi, ex quo fundamento asserunt Archidiaconus, Geminianus, Io. Andr. & alij in cap. quicumque, §. heretici, ver. credentes, de heret. in 6. Zanchinus de heret. cap. 3. n. 6. Repertor. Inquisitor. ver. credentes, §. ponamus, qui bis audiunt hæreticorum conciones, censendos esse eorum credentes. Vide etiam Calderinum tract. de heret. cap. 3. n. 4. asserentem quòd si quis ierit plusquam semel ad audiendum hæreticos, dicitur eorum credens.

2. Verum ego contrariam sententiam tenco cum Soula in Bull. Cane, cap. 2. disp. 8. n. 10. Suarez de fide disp. 24. sect. 3. n. 3. & alij cum hac tamen limitatione, ut non procedat in terris Catholicorum, nam in his, si aliquis intelligat occulta conventicula ab hæreticis celebrari, & illuc vadat, etiam si semel, & hoc Inquisitoribus non denunciaret, suspicione hæresis non carebit. Et ita docet Pegna in direct. Inquis. p. 2. q. 50. ver. si & plurimum Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 1. & alij. Igitur ex dictis puto assistentem concionibus hæreticorum per duas vices, incurrere tantum in suspensionem levem de hæresi, non autem vehementem, ut in specie notat Soula loco cit. ergo non potest ei indici abjuratio de vehementi. Si autem, ut dictum est, hoc efficiat in terris Catholicorum, puto supradictum incurrere suspensionem vehementem, & de vehementi abjurare debere, nisi ignorantia, vel alia circumstantia facti, & qualitas personæ in contrarium concurrerent.

3. Non desinam etiam hic adnotare, quòd etiam Antonius Sanctarellus in tract. de heresi cap. 11. dub. 3. n. 31. docet, eum, qui tantum semel interfuit hæreticorum concionibus, quamvis non reputetur, credens hæreticorum esse, tamen de hæresi suspectum, quòd etiam docuit Campegius in annot. ad Zanchinum cap. 3. n. 6. quem omnino vide.

RESOL. XCVII.

An Inquisitores possint compellere, ut abjurantes de levi abjurent generaliter omnem hæresim? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 68.

P p 4 Negativè

§.1. **N**egativè videtur respondendum, per ea, quæ adducit glossa in cap. accusatus, §. eum vero in ver. simpliciter, de hæret. in 6. Calderinus de hæret. p. 2. c. 20. n. 1. in fine. Vmbertus Locatus in Inquisitionis formula, sub tit. forma abjurantis leviter suspecti. Eymeric. in direct. Inquis. sup. tit. forma abjurandi hæresim quando deatus est suspectus leviter, à n. 163.

2. Sed prolixè affirmativam sententiam tenendam esse puto, ut superius etiam adnotavi, & ita observari Romæ in sacro Tribunali sanctæ Inquisitionis testatur Pegna in direct. Inquis. p. 3. com. 4. & ita etiam observatur in sacro Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, teste Roderico Acugna de Confess. sollicit. q. 24. n. 2. 2. & hanc sententiam tenent etiam Doctores, ut Simanca in cathol. instit. tom. 1. n. 12. & tit. 57. n. 7. Decian. in tract. crim. lib. 5. cap. 47. n. 10. Zecchius in sum. tom. 1. tit. de fide cap. 11. n. 5. & alij.

RESOL. XCVIII.

An Inquisitores possint punire tanquam relapsos, qui de vehementi abjurarunt, non autem fuerunt convicti per plenas probationes, si postea in secundo relapsu plene convicti sunt?
Et aliqua alia circa hoc advertuntur? Ex p. 4. tract. 8. Rel. 30.

§.1. **S**ententia affirmativa est clara, per text. in cap. accusatus, de hæret. in 6. & illam docent DD. quos citat & Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 8. n. 2. Vnde infertur non esse relapsum illum, qui primò de levi abjuravit, quamvis post huiusmodi abjuratorem de hæresi fuerit convictus, quod etiam habetur in direct. cap. accusatus.

2. Nota verò cum Squillacensi de fide cathol. cap. 3. n. 2. quem citat & sequitur Sanctarellus de hæresi c. 42. dub. n. 6. in fine, quòd si aliquis postquam fuerit in hæresim relapsus, cum ante relapsum & abjuratorem esset de crimine hæresis leviter suspectus, post abjuratorem plene probetur quòd verè illud crimen antea commiserit, hunc esse dicendum verè relapsum, & afficiendum pœna relapsis imposita.

3. Notandum est etiam hic obiter primò cum Menochio lib. 1. consil. 81. n. 150. & aliis, non esse relapsum qui post abjuratorem de vehementi iterum abjurat, quia de novo redditur suspectus de hæresi, & ita declaravit Pius V. anno 1567. ut notat Vmbertus Locatus in præxi Inquis. vers. vehementis suspicio, n. 1. Vnde ex hoc sequitur non esse relapsum qui hæresim abjuravit tanquam fautor hæreticorum si post abjuratorem iterum illis favet, ut docet Decianus in tract. crimin. lib. 5. cap. 56. n. 16. & alij. Vide Zanardum in direct. Theol. par. 2. cap. 7.

4. Notandum secundò non esse relapsum qui post purgationem relabitur in hæresim, si purgatio fuerit imposita propter levem suspicionem de hæresi, secus autem si fuerit imposita propter vehementem suspicionem. Ita Pegna in direct. p. 3. com. 35. & Decian. in tract. crim. lib. 5. cap. 48. n. 51. Imò non dicitur relapsus qui post purgationem incidit in aliam hæresim, sed solum ille, qui incidit in eam hæresim, quam purgavit, quod notat Pegna ubi supra, & Paramus de grig. Inquisit. lib. 3. q. 4. rubr. de expedit. proces. n. 5. nisi generaliter omnem hæresim abjurasset, prout fieri solet, & ratio est, quia qui se purgat, solum de illis hæresibus se purgat, de quibus fuit diffamatus; ergo si in alias hæreses reincidat, non est relapsus.

RESOL. XCIX.

An Christianus fingens se infidelem, & petens iterum baptizari propter elemosinam acquirendam, debet abjurare? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 3. Rel. 9.

§.1. **N**egativam sententiam nominatim contra me sup. habet docet P. Pasqualig. dec. 475. quia cum abjuratio sit desertio hæresis, aliquis in tantum abjurare debet, in quantum est, vel hæreticus, vel suspectus de hæresi, in casu nostro nulla est suspicio de hæresi, talis non petit Baptismum credens posse reiterari, sed ut medium ab obtinendis pecuniis. Ergo. Et cum si, & aliis declarer intentionem, evacuata remanet in tali casu omnis suspicio.

2. Sed hæc opinio certè in nostro Sacro Tribunali non erit admittenda; nam ex facto ipso, videlicet ex reiteratione Baptismi clarum est, quod talis remanet suspectus de hæresi; quod talis reiterationi non fuerit facta ex mala credentia, ut loquuntur nostri DD. sed ex cupiditate commodi temporalis hoc non potest constare nisi per confessionem extra iudicalem Rei, vel iudicalem; per confessionem extrajudicalem, quia ipse vel ante vel post Baptismum hoc aliis communicavit, vel per confessionem iudicalem, quia ab Inquisitoribus interrogatus respondit se reiterasse Baptismum causa commodi temporalis, & non quia crederet posse Baptismum reiterari. Sed neutro casu talis confessio prodest, cum crimen hæresis sit occultum & in mente lateat, & ideo docet omnes Doctores, & est praxis nostri Sacri Tribunalis, quod quando factum per se est hæreticum, vel inducens suspicionem hæresis, non purgatur talis suspicio, quia reus dixit se velle facere, vel fecisse tale factum non ex mala credentia; sed ex alio fine, sed torqueretur super intentione, & si neget se habuisse malā credulitatem, adhuc in foro externo, quia remanet suspectus ex ipso facto indicii ei abjuratio. Et ideo in casu simili de abusu Sacramentorum, supradicta practicanter quotidie in inquisitione Hispanica, & Romana cum polygamis, & sollicitatibus mulierum, qui cum regulariter non habeant errorem in intellectu; & hoc ipsi fateantur, tamen quia ex facto ipso nempe abusu Sacramenti remanent suspecti, ideo abjurare coguntur; unde nescio in casu nostro quomodo P. Pasqualig. possit dicere certò constare de intentione Rei, cum intentio sit occulta; dices constare ex dicto Rei, & ex præsumptionibus. Respondendo, quòd ideo non abjurat de formali, sed quia ex facto ipso remanet adhuc suspectus, alia abjuratio ei indici debet.

RESOL. C.

An si Inquisitor cogeret reum sine Episcopo abjuratorem, talis sic abjurans maneret subiectus ad puram relapsi?

Et quid è contra?

Et an liceat Inquisitoribus suspectum de hæresi vehementer cogere ad abjuratorem sine Episcopo? Ex part. 4. tract. 8. Rel. 49.

§.1. **N**egativam sententiam tenet Ferdinandus de Casp. libro in op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. q. 1. n. 18. qui hanc sententiam conatur probare ex Clem. de hæret. §. duro.

2. Verum contrariam sententiam præter Pegnam in direct. Inquisit. p. 3. comment. 97. tenet Michael Zanardus in direct. Theol. part. 2. cap. 6. quest. 15. ubi sic ait: Doctores sunt divisi, ita ut aliqui affirmarent posse Inquisitores sine Episcopo indicare abjuratorem, & è contra: tamen oppositum mihi cum aliis tenendum